NARRATIO.

HOc Evangelium non immeritò hodiè in Eccleſiâ pro concione explicatur, egregiè enim in illo ipſe Chriſtus, de officio Spiritus Sancti, concionatur. Continentur autem præter hæc multa alia themata in illo. Quapropter, ut & præſens Evangelium explicemus, & ſimul etiam doctrinam de Spiritu S. quæ hodiè explicanda venit, proponamus.

I. Evangelium ſummariter percurramus.

II. Ex lege Methodi de Spiritu Sancto dicamus.

DE I. LOCO.

I. Notetur character veræ Eccleſiæ ſive cætus diligentis Chriſtum, qui eſt ſervare ſermonem Chriſti. Servant autem ſermonem DEI, qui illud audiunt, atq; animo cuſtodiunt.

Lucæ 11. Jacob: 1. Ψ 119.

VSVS.

Gala: 6. Unusquiſq; igitur probet ſeipſum.

II. Beneficia, quæ aſſequentur membra Eccleſiæ.

1. Pater cæleſtis diliget eos.
2. Veniet ad eos.
3. Manſiones apud illos faciet.

VSVS.